

14.

DE O D U C E
M E D I T A T I O S . E V A N G E L I I
D O M I N I C A H . P O S T
E P I P H A N I A S
A d d i t i s S . P a t r u m d i c t i s , Q u æ s t i o n i s
numq; aliquot decisione, ad uberiorem textus, cùm opus est,
explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M
In Regia Aboënsi Academia
P R Ä S I D E
DN. A S C H I L L O P E T R A E O
S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore.
Examini subiicit, in Auditorio Majori, horis solitis.
Addiem 24. Novemb. Anni 1649.

E R I C U S A N D R E Æ L U C A N D E R
F I N L A N D U S

(A) *Cyrillus lib. 2. In Ioh.*

Adest Christus miraculi potius, quod aeternus erat, quam convivii gratia profectus; Et
ad hæc, ut nativitatis nostræ principium, quantum ad carnem, sanctificaret.

(B) *Ambrosius sermone 19.*

*Magnum plane signum, & ad DEI credendam sufficiens Majestatem: quis enim non
retrur in aliud quam erant elementa, esse translatu? Nemo enim potest mutare
naturam, nisi qui Dominus est naturæ.*

A B O E.

Excudebat Petrus Wold/Acad. Typogr. Anno 1649.

Nobilissimo, Generosissimo & Fortissimo,

DN. JOHANNI BECK

De Härkila & Västama equitum Nobilitatis vice Magistro expeditissimo & maximè strenuo.

M A C C O N N

Reverendis, Doctissimis, Praestantissimis, spectatissimis, strenuo & Humanissimis viris.

DN. NICOLAO MAGNI HAMMARMANNO, ut quondam Scholæ Helsingforsensis Rectori solertissimo; Ita nunc Præp. & past. in Somero Gravissimo, Nutritio suo propensissimo.

DN. ANDREÆ IONÆ ORKE
Præp. & past. Hollolensium, ut vigilantissimo, ita laudatissimo.

DN. DANIELI LAURENTII,
Illustrissimæ Comitis Dominæ Catharina Orcnsterua
Prætori in Jyvä & Viinijala attentissimo, ac fidelissimo
DN. ZACHARIAE JOHANNIS in Risto
degeniti, quondam equitum vexillifero per industrio, consanguineo suo Charillimo.

DN. JACOBO GEORGII RAICCHÆO
verbi divini comministro in Hollola Dexterrimo, consanguineo itidem suo colendo.

Dominis, Mecoenatibus, Promotoribus, Evergetis & sautoribus suis quovis honoris & observantiae cultu iugiter & plurimum devenerandis, exercitiū hos sacrum reverenter & officiose inscribit, offert & dicat.

ERICUS AND. LUCANDER.
Respondens.



DOMINICA II. POST EPIPHANIAS

In Sancte & Summe Laudande Trinitatis, Patris, filii
& Spiritus Sancti Nominis.

Jubilate D^O omnⁱs terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. Dicite D^O, quā terribilia sunt opera tua Domine: In multitudine virtutis tua mentientur tibi inimici tui omnis terra adore te, & psallat tibi: psalmū dicat nomini tuo, venite, & videte opera D^EI: terribilis in consilijs super filios hominum. *Psal. 66. v. 1. Et seqq.* Quibus verbis psalmista alloquitur omnem terram, omnes in colas terrae, invitans eos ad jubilandum Deo, psalmum dicendum nomini ejus, dandam gloriam laudi ejus. **A**d dicendum Deo, quā terribilia sunt opera tua, Domine: In multitudine virtutis tua mētiētur tibi inimici tui. Omnis terra adore te, & psallat tibi. Psalmū dicat nomini tuo. **S**ela. Deinde convocat omnes ad videndum opera Dei, venite, inquit, & videte opera Dei: terribilis in consilijs super filios hominum. Quā adhortatione psalmista monet opera D^EI non negligenda, sed diligenter consideranda esse, ut non solum quilibet privatim illa censideret, sed ut tota multitudo congregetur ad illorum operum considerationem & meditationem, ut discant, omnes quā potens sit D^EV^S noster. Hujus rei etiam in hodierno Evangelio admonemur.

Oremus autem Deum, ut Evangelium hodiernum, ita meditari queamus, ut cedat in nominis divini gloriam, nobis in

augmentum & incrementum doctrinae, & bonorum operum, in
spem & fiduciam, & tandem in aeternam beatitudinem: Dica
nus igitur. Pater noster &c.

E V A N G. Joh. 2.v.1.usq; ad 12.

Et die tertia nuptiae siebant in canâ Galilææ, & erat
mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Jesus ac
discipuli ejus ad nuptias. Et ubi defecisset vinum,
dicit mater Iesu ad eum vinum non habent. Dicit
ei Jesus: Quid mibi tecum est mulier? Non dum
venit hora mea. Dicit mater eius ministris, quod-
cunq; dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapidea
hydriae sex, posita secundum purificationem Iudeo-
rum capientes singula metretas binas aut ternas.
Dicit eis, implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas
usq; ad summum. Et dicit eis insundite & fertre
Architriclino. Et tulerunt. Postquam autem gustasset Ar-
chitriclinus aquam in vinum versam, neq; sciret, unde
esset, sed ministri siebant, qui hauserant aquam, vocat
sponsum Architriclinus, & dicit ei, omnis homo primo
loco bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc
id, quod deterius est. Tu servasti bonum vinum usq;
ad hoc tempus. Hoc edidit initium signorum Jesus
in canâ Galilææ & manifestavit gloriam suam & cre-
diderunt in eum discipuli ejus.

Postquam Christus à Johanne in Jordane esset bapti-
zatus, & cœli illi aperti, Spiritus Sanctus in specie colum-
bae super eum descendisset, patris vox sonisset de eo,
hic

hic est filius meus dilectus. Inde in desertum a spiritu deductus esset; ibi 40. diebus & noctibus iejunasset graviter interea a Diabolo tentatus esset, victoriam reportasset glorioissimam, jam in Galilaeam reversus, & ad nuptias invitatus, venit. In his nuptijs cum vinum incepisset deficere, mater etiam Iesu ibi praesens hunc vini defectum suo filio revelasset, non dubitans, quin ferat auxilium, quamvis durius visus est, hanc intercessionem excipere. mada tamē mater servis ut omnia ab ipso imperata strenue facerent; cumq; juberet Christus servos implere aquā sex hydrias, quae ibi positae erant secundum purificationem judæorum: Et ut impletæ erant hydriæ, vinum erat in hydrijs factum ex aquā, quod Achitriclinus gustans, vinum bobum appellat, sponsum, quod mox in initio tam generosum vinum non apposuisset, redarguit, ignorans, quod hoc vinum aqua fuisset. Monemur de sexto precepto observando, in quo Deus Conjugalem statum approbat, sicut hic a Christo approbatur. Confirmatur secundus articulus fidei nostræ, vbi Christo Divina Majestas & omnipotentia ascribitur: Nam ipsi us discipuli credunt quod sit filius Dei vivi. Excitamus etiam ad orandum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Ut Deus suppleat omnem defectum cibi & potus, & det nobis necessaria tam ad hilaritatem, quam ad necessitatem.

P A R T E S.

1. De defectu vini in his nuptijs, in quibus Christus aderat.
2. De modo, quo Christus hunc defectum supplevit.

Atq; haec sunt istæ partes, quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus: Omnipotens & aeternus

Deus

Deus Pater noster tu es sis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.

PARS PRIMA.

In qua meditamur:

Ubi accidit defectus vini, vidz. in nuptiis, quæ describuntur:

I. A Tempore, quo sunt celebratae nuptiae, numeratur tertius dies, postquam videlicet Christus in Galilæam reversus, Johanni Baptistaræ visus esset, & altero die cum Nathanaële esset locutus, tertio die nuptiae celebrantur... (Quest. i)

II. A Loco, qui fuit oppidū in Cana Galilææ. Cujus oppidi sit mentio jofv. 19.

III. à Convivis. Erat ibi mater Jesu Maria, ipse etiam Jesus & ejus discipuli convivæ erant. Ergo omnium dignissimi, potentissimi, Sanctissimi. Quinam novi conjuges fuerunt, non exprimitur, interim verisimile est, sponsum & sponsam B. Mariæ singulariter fuisse dilectos, cum illa, ut mater, curam habeat eorum, quæ ad lætitiam hujus convivij spectarent. (A)

IV. à Defectu vini. Maria enim dicit: Vinum non habent. In illis regionibus vino utebantur ad exhilarandos convivas, & cum hoc defecisset, aliis eis potus non erat nisi promptu, quo convivas exhilararent. Apud nos singulari Dei bonitate habemus

bonitus cerevisiam, quâ etiam convivia cum gaudio & lætitia celebrari possunt. Ex improviso autem hie defectus accidisse videtur, cum tam citò prorsus deficeret, sicut Maria indicat, cum dicit: vinum non habent, nihil in promptu est amplius, dolia vacua, mox lætitiam in tristiam, coloquia in silentium versa cernimus, certè novis conjugibus vitio veritur, quod tantos hospites inviterint, & jam vinum deficit.

L. C. 1. Temporis & loci annotatio accurata indicat præcipuum esse huius historiæ dignitatem & conjugibus & ad conjugium adspirantibus summè necessariam. Congitent memoriae penitissimè infigendam, non ut profanam aliquam historiam, quæ lecta, placet quidem, sed nulla inde consolatio oritur. Solenthomines memoriam tenere fabulas & frivolas historias, verum hæc historia consolationis plena est, ut rectè dicatur de hac historiâ, quod de omnibus alijs Dei operibus: Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates ejus. Confessio & magnificentia opus ejus. Et justitia ejus manet in seculum seculi. Psal. III. v. 2. 3.

L. C. 2. Convivæ tam excellentes, tam sancti, tam potentes in his nuptijs præsentes re ipsâ docent hanc statum cum primis placere Deo & apud eum in gratia esse. Ideoq; piè quisq; ad hunc vitæ statum se recipiat.

I. Observando legitimū processum in ingressu ad hunc statum, ut omnia fiant licite & decenter, sive, ut breviter dicam, cum apostolo, in Domino. preces ergo fundamus pro bono consilio, gradus consanguinitatis & castitatis considerandi, tam qui in legi Divina Levit. 18. quam qui in alijs legibus & ordinatione & constitutione ecclesiastice nostrâ sunt concessi vel prohibiti. Contra quod

quod peccavit Herodes, dicens uxorem fratri sui Philosophi Matth. 14. v. 3. Et qui duxit Novercam suam 1. Cor. 5. v. 1. Vide plura de hoc Levit. 18. v. 8. Revocent sibi in memoriam Annæ exemplum, quæ vacat orationi ad Deum pro felici conjugio Tob. 3. v. 16. & seqq: 2. In contractu & consummatione conjugij, ut & ibi omnia piè fiant, sicut nos docet exemplum Nuptiarum Isaaci Gen. 24. Eleazarus legatus pro contrahendo matrimonio orat; etiam orat ipse sponsus Isaacus. Hæc & alia exempla studiose imitanda.

L. C. 3. Matrimonium est tale vitæ genus, quod Deus non modo in paradiſo instituit, sed hodiè etiam (quamquam natura hominis per peccatum corrupta, & omnis generis perversis cupiditatibus tota infecta est) approbat. Et vult, qui singulare donum continentiae non habent, matrimonium contrahant 1. Cor. 7. Vult enim Deus, ut legitimè generentur cives terrestres, qui postea ex aquâ & spiritu in baptismo renascantur, & fiant cives caelestes. Vult, ut homines remedio conjugij utantur ad evandas vagas & illicitas libidines. Vult, ut matrimonium quotidie nos admoneat arctissimæ & sanctissimæ conjunctionis Christi & Ecclesie: Quam Christus ardenterissimo amore complectitur & sovet: Quam participem facit coeliſtū ſuorū bonorū & divitiarum: Quæ vicissim Christo ex animo obedire & parere studet. Et placet Deo ſolennitas nuptiarum: Si ea modū non excedat: Ut per eam ſolennitatem non modò alij ſciant, novos conjugetes legitimè coabitare: Sed etiam ut ipſi conjugetes, ſi quid asperius incidit, consolationem ex eâ repetant: dum reminiſcuntur ſe legitimè à Deo copulatos: ideoq; Deum ad futurum iphis ſuo auxilio.

L. C. 4. Meminerimus etiam ad epulum nuptiale invitandos homines pros & probos, boni nominis & famæ, tā ex viris, quām ex fœminis, facinorosi, notorij peccatores, flagitiosi, scortatores & malæ notæ homines non invitandi propter mūera, propter aliquem favorē: tales enim non sunt in gratiā apud Deum; in pietate enim talia convivia sunt celebranda. Vbi vero tales sunt, qui non sunt probi & honesti, quid aliud facturi sunt, quam mala? Sicut enim bonus de bono corde, bonum profert, ita malus malitiā suam non potest non proferre. Non possit arbor bona fructus malos ferre, Matth. 7.

L. C. 5. Defectus vini s̄epius accidit, vel ita, ut non solum vinum deficiat, sed etiam simplicia victualia. Deficit panis, deficiunt alia cibaria, ut nihil pro nobis ipsiſ habeamus, adveniunt amici peregre, & desiderantur illa quæ eis apponamus. Cum talia accidunt, ne scandalizemur, alijs etiam, ut his novis conjugibus, tale quid accidit: commendemus D E O vitam nostram, faciamus quod nobis mādatū est, sim eo contenti, quod clementissimus Deus voluerit donare, non finit nos perire fame, aut inedia contabescere, si modo ipsius auxilium imp̄loraverimus, abijciamus curam nostram in ipsum, ipse faciet, ut nobis sit occasio laudandi Deum, dīcendo ex psal. 117. v. 1. ad 9. Laudate Dominum, &c. Feramus æquo animo cum vinum alio modo deficit, cum lātitia nostra opinione eitius in tristitiam convertitur, sauitas in ægritudinem, favor potentum in odium, amici fiunt inimici, liberi degenerant, publica grassantur mala. Feramus hæc æquo animo, sicut vini defectum ferentes, quod & fratribus nostris talia accidunt. Christus mutabit, ut statim audiemus, aquam tribulationis nostræ in vinum lātitiae & consolationis.

L. C. 6. Significatur etiā quod in conjugio variæ tribulationes incident, uti docet Apostolus i Cor. 7. Vinum lætitiae instrumentum est: Cujus defectus, mæstitiam & afflictiones denotat.

SECUNDA PARS.

In primâ parte audivimus vini defectum in nuptijs contigisse: In hac secundâ parte informat nos S. Joannes, quomodo vinum convivis iterum datum insigni quodam miraculo,

In qua meditamur:

I. S. Mariæ apud Christum

intercessionem. Intercessit S. Maria apud Christum pro supplendo hoc vini defectu. Mox, ubi Maria Christi mater cognovit hunc vini defectum, valde ægrè fert hunc tristem easum, compellat itaq; filium suum, quem scivit posse ferre opem in hoc casu: Didicerat enim ex illius quotidianâ conversatione, quod anteà in talib⁹ casibus præstiterit auxilium; conqueritur itaq; apud illum, quod vinum non haberent, nec desperat de Christi benevolentiâ erga novos conjuges, quamvis Christus duriusculè illam videatur excipere, dicens: Quid mibi tecum mulier? nondum venit hora mea. Mandatq; Maria nihilominus servis, ut præstò sint, admonet, si quid Christus imperet, ut id facerent.

L. C. 1. Ostendit S. Maria Christi mater in eo, quod afficiatur condolentiâ in defectu vini in his nuptijs, à mosib⁹ & consuetudine Sanctorum alienam esse inhumanitatem & avarogryear. Non enim Maria talis fuit, quales

quales sunt, qui potius gaudent & lætantur, cum quis incedit in adversitates. Sed charitas Christiana hoc non facit, vide 1. Cor. 13. v. 4. Sic Abraham intelligens Deum velle punire Sodomitas, non gaudet ex eo, quod audit perdendos esse Sodomitas, quamvis impij fuerunt, sed pro eis intercedit, petens aliquoties, ut Deus isti loco parcat, Gen. 18. Sic Discipuli Christi intercedunt pro muliere cananæ Matth. 15.

L. C. 2. In hoc quoq; S. Maria Christi mater est imitanda, quod non fuerit impatiens, quando Christus illam durius alloquitur, non vocans matrem, sed mulierem, & quasi arguens illam, quod tale quid peteret, vel ei indicaret, quasi inscio, sed nihilominus sperat Maria onia bene celsura, & Christū facturū, quod petit: ideoq; in Mariā est insigne patientiæ discendæ exemplum, ne desperemus de Dei bonitate, licet non mox concedat, quod petimus: instandum enim precibus, sperandum, & spes non confundit. Tale patientiæ exemplum in muliere Cananæ habemus Matth. 15. aliquoties durius tentatur, nunc lenitio Christi, nunc responsionibus minimè gratioſis: interim tamen perseverans in precibus, non solum, quod petivit, obtinuit, sed etiam singulare à Deo fidei sura & patientiæ elogium reportavit. Ad hoc adhortatur Psalmista David, dicens: expecta Dominum, viriliter age, ipse faciet, Psal. 27. v. 14.

II. Intercessionis Mariæ exau-

ditionem. Tandem exaudivit Christus Mariæ intercessionem pro supplendo vini hoc defecitu, servisq; quibus Maria præcepit præstò esse, mandat Christus, ut aqua impletant sex illas hydrias, quæ ibi posita erant juxta consuetudinem Judæorum & illorum purgationem. Hoc.

dum servi fecerunt ad sumnum illas implentes, ecce mirabilis Christi potentia, non aqua amplius inventur in hydrijs, sed vinum generosissimum & optimum, quod & Architriclinus quoque collaudat, vocans sponsum cumque reprehendens, quod contra communem convetudinem fecisset, parcendo huic tam generoso & bono vino usque, hoc, cum iam convivæ fere bene poti essent, & conveniret vinum minus forte & generosum proponere. Ignoravit enim hic Architriclinus hoc vinum aquam fuisse, hoc tam evides & illustre fuit miraculum, ut de hoc testatur, Evangelista quoque, quod eius Discipuli etiam crediderint in Christum, quod esset verus Deus & promissus Mundi Messias, quod tam manifeste per hoc miraculum gloriam suam Divinam manifestavit. (B) (Quest. 2)

L. C. I. Exaudiuit Christus matris suae intercessionem, vidit ejus patientiam & expectationem auxilij, non diu differt auxilium: Cum enim venisset hora ejus, statim in promptu suat omnia, quibus opus esset, & quod a seculo auditum non fuit, ex aqua vinum factum fuisse, Christi potentia mutatur aqua in hydrijs in vinum. Discamus hinc Christi potentiam, & quod Deus sit, & non solum homo. Hic scopus omnium miraculorum Christi, ut credamus, quod sit Dei filius & quod ejus doctrina sit divina, ideoque audienda, eique credendum. Dicamus ergo cum Discipulis: Verba vitae habes eternae. Hic potest tam optimè hydrias nostras implore vino, omnes defectus supplere, tam quo ad corpus, quam quo ad animam: Interim, ut diximus, hora Christi expectanda. Et de Dei horis dicitur, quod sunt quidem aliquando tardæ, sed cum veniunt, sunt valde gratae. Videbatur Maria & Martha, longum quodcum vocare

erat Christus ab eis ad agrotantem Lazarum fratrem suum, & Christus distulit adventum, usq; dum mortuus erat Lazarus per totum quatriduum: sed cum Christus venit, & Lazarum excitavit, hora Christi fuit valde grata Joh. II. Visita est hora Christi mulieri Cananæ tarda, sed cū audiret à Christo verba: Magna est fides tua, fiat tibi sicut petijisti, & sanata fuit filia ej; ab illa hora. Valde exilarata est.

L. C. 2. Servi faciunt, quod Christus mandavit, implet hydrias aquā, quamvis hic nihil videatur ad splendi vini defectum, id quod etiam Maria petiit, ferunt Architriclino, licet nescirent, in quem finem & usum, faciunt tamen, quod Christus jubet, hydrias implendo & deinde ad Architriclinum portando. Hoe servorum exemplum omnibus servis & Discipulis imitandum, ut in rebus, quæ captum nostrum exsperant, non indulgetur profundis speculationibus, querentes, quid hoc; quare DEUS Sita dispositus? quare DEUS sic facere voluit? quare voluit Baptismum instituere? quare sacramentum ecclæ instituit? postquam sine hisce alias salvi fieri? absint tales cogitationes. DEO enim non placent. Cogitemus nos servos DEI esse, quorum non est est inquirere rationes Dei nostri, quare sic, vel sic faciat? sed potius nobis dicendum: Omnia benè fecit, omne, quod Deus fecit, hoc jucundum, hoc gratu nobis esse debet: Medijsq; ab illo ordinatis utendū reverentia & gratiarū actione.

L. C. 3. Egregius mos iudeorum ostenditur in nuptijs, his verbis Architriclini, cum dicit: Omnis homo primo, bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tum id, quod debilius est: Hic videre est, qualis mos apud iudeos fuerit in honestis convivijs, nuptijsq; & alijs convivibus, non ita inebriari vino, ut prorsus ad infarctum re-

digantur, sensum amittant, & rationis usum, ut neq; pes
neq; manus suum faciant officium. Vx illis, qui proxim
um sic inebriant, ut videant turpitudinem ejus, Hab.
2. v. 15. 16. Quicunq; ergo sunt Directores in convivio
unicè videant, ne ipsi aliquem cogant. Idem nos
docet Historia Ahasveri, quæ quantum vnicuiq; bibere
placuit, licitum fuisse docet. In eō enim non definie
batur quantum bibendum esset, sed in cuiuslibet arbit
erio relinquebatur. Estq; cavendum cuilibet à vino;
in quo luxus est, à erupulâ & ebrietate, bibendum ad hi
ilaritatem ut interim simus apud nos, ne occulta revele
mns, ad rixas & pugnas ex nimio vino excitemur, ad
turpe quid faciendum, velut Loth in sua ebrietate Gen.
19. Verum in omnibus geramus nos sicuti Christi ser
vos & Discipulos decet, ut liceat nobis in futurâ vitâ
eius gloriam cum omnibus sanctis in cœlestis vitæ con
vivio intueri, eaq; frui.

L. C. 4. Apparet etiam, quis usus miraculorum
Christi apud nos esse debeat: Videlicet ut credamus Je
sus esse Christum, utq; credentes in ipsum vitam æter
nam consequamur Joh. 20. Et beneficijs divinis affe
cti, firmius Christo confidamus.

Oremus etiam filium Dei Dominum nostrum Iesum Chri
stum crucifixum pro nobis & resuscitatum, verissimè amä
sem castitatis & casti conjugij, ut ipse flectat mentes omnium, qui
eum invocant, ad castitatem, & defendat conjugij leges, & res
primat Diabolos, qui odio Dei impellere miseris homines eos
nuntur, ut varijs modis polluantur & pereant. Crescit infir
mitas naturæ nostra in hac mundi senectâ, & simul rabies in Dia
bolis crescit, quia sciunt brevi inflare judicium, in quo ipsorum
turpitudine omnibus hominibus & angelis claram ostendetur. Ideo

refili Dei, Domine Iesu Christe crucifice pro nobis & resuscitate,
ero, ut nos, ut adolescentiam, ut familias nostras regas, & ad cas-
titatem, & ad veram invocationem aeterni patris pectora nostra
spiritu sancto tuo flectas. Amen.

Benedictio, & Claritas, & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Vir-
tus, & Fortitudo, DEO nostro, in Secula seculorum, Amen. Apoc. 7: 12

QUÆSTIONES.

Cur conventus nuptiales instituti, & longo tem-
pore servati sint? Resp.

Prima causa est, ut plures considerent admirandum
opus institutionis primi conjugij, quo Deus ostendit se
amat castitatem, & hominis propagationem illam, quæ
sit in conjugio, & illum detestari vagas libidines. Et
quod verum sit, quod scribitur Heb. 13. Honorabile
inter omnes conjugium & cubile impollutum. Scor-
tatores autem & adulteros judicabit Deus. Et quod
habet Apostolus 1. Cor 6. Neq; scortatores, neq; adul-
teri Regnum Dei possidebunt.

Altera causa est horum conventuum nuptialium, ut
à pluribus in tali frequentiâ fiant precatio[n]es, quo &
porrò Dei conjugij ordinem à se institutum, quem Dia-
bolus Spiritus immundus varijs libidinibus & sordi-
bus polluit & oppugnat, servare velit, & ut pro hoc spon-
so & sponsa, ad quorum nuptias tota multitudo convo-
cata est, simul etiam pro Ecclesiâ totâ, pro Republicâ,
pro pace & alijs necessitatibus fiant preces & gratiarum
actio[n]es & deprecationes pro avertendis et mitigandis
malis & poenit[er]is nostris peccatis commeruimus, &c.

II. An

2. An Christus voluit docere luxum & ebrietatem, dando ultimo loco vinum præstantissimum?
Resp.

Non. Detestatur enim Christus luxum & ebrietatem: Sed ostendit Christus se hoc dono curam gerere conjugum piorum, ut eorum inopiam & miseriā leniat, & mœstiam eorum etiam in gaudium convertat. Sic pijs conjugibus etiam aquam tristitiae in vinum latitudinē convertit: Nec minus pijs conjugibus dicit, quam Discipulis suis, dixit: Tristitia vestra vertetur in gaudium. Nec dubium est, quin his finitis nuptijs bona adhuc pars illius præstantissimi vini reliqua fuerit, cuius usu novi conjuges pauperes rationes œconomiae rectius & facilius instituere potuerunt, non enim Deustantum copulat, sed alit etiam pios conjuges, quod etiam in psal. 128. Indicatur: Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs ejus. Labores manuum tuarum quia mandueabis: &c. Vnde hoc breviter notandum: Antequam matrimonium incunt, discant prius juvenes vel liberales artes vel honesta opificia, vnde conjugium liberos & familiam alere queant; neq; de sponsa prius, quam honesta conditione circumspiciant ut pater ex cap.

4. Eph. Et 1. Thess. 3. 4. Syrac. 39. Virgines etiam non assūfescant otio, sed culinarijs & domesticis laboribus, ut Rebecka Gen. 24. Rahel Gen. 29. Filia Sacerdotis Madian, Exod. 2. &c.

